

עֲבַר עֲשֵׂה

חֲבַת מֵצָרִים

I. E.

OPPROBRIUM ÆGYPTI,

è Jos. V. 9.

Auxiliante summi Numinis gratia,

Consensu Ampliff. Facult. Philosophicæ,

PRÆSES

M. NICOLAUS KÖPPEN,

SS. Th. Bacc. & Facult. Phil. Adj.

Et


RESPONDENS

DIONYSIUS CASPAR. DROYSFN,

Benza-Vsedomensis,

*Placido φιλολογέντων examini publice ven-
tilandum proponunt,*

Anno 1709. d. 13. Aprilis.



GYPHISWALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Academ. Typogr.

a. LXXIII. 58.

oll. diss. A
3, 58

VIRIS

*Plurimum Reverendis, Clarissimis
atque Doctissimis,*

DOMINO

JOACHIM. MEINCKEN,

*Pastori Morgenitzenfi in Vfedomia
dudum meritissimo;*

Et

DOMINO

**BALTHAS. VALENTIN.
SCHÆFFERÓ,**

*Pastori Pinnoviensi
æque meritissimo;*


*Dominis Cognatis atque Evergetis suis
Omni honoris atque obsequii cultus
etatem colendis,*

*Primitias hasce Academicas in grati
animi tesseram & studiorum
commendationem*

D. D. D.

RESPONDENS.





CONSPECTVS DISPUTATIONIS.

§. 1. Locus Jos. V. 9. §. 2. Interpretationes Rabb. diversæ ab Abendana recensitæ. §. 3. Ad suos quæque Auctores referuntur & aliæ adducuntur. §. 4. 5. Christiani interpretes hos illosve sequentes, aut novas interpretationes afferentes. §. 6. Sententia Kimchii de præputio reliquis præfertur, & coherentia cum antecedentibus c. R. Levi B. Gerson vindicatur. §. 7. Ambiguitas phr. חרפת מצרים indicatur. §. 8. Eadem evolvitur tum quâ genit. מצרים tum quâ nominat. חרפת / & utrumque ad certam sententiam applicatur. §. 9. Contra probabilem sententiam de servitute Ægyptiaca pro opprobrio objecta, argumenta afferuntur, & per eadem & similia aliæ quoque sententiæ rejiciuntur. §. 10. Argumentum palmarium urgetur, & tanquam fundamentum supponitur. §. 11. Quid per hæcenus disputata obtineatur & maneat; quid contra rejiciendum sit, supponitur. §. 12. Phrasis ulterius explicatur, & ad rem applicatur. §. 13. Præputium dici opprobrium, ex hæcenus allatis concluditur. §. 14. Respondetur ad objectionem, quod Ægyptii quoque fuerint circumcisi, & in sp. ad testimonium Herodoti. §. 15. Diversæ Philologorum conjecturæ adducuntur, quando ab Israëlitis Ægyptii circumcisionem acceperint, & è Jer. IX. 25. 26. concluditur, tempore Jeremiæ nedum Josuæ, circumcisionem nondum recepisse. §. 16. Cum sententia de præputio sententia de idololatria & impietate Ægyptiorum conjungitur. §. 17. Loci paraphrasis.

§. I.

CIRCUMCISIONIS SECUNDÆ illius, de qua modo Disputatione publica egimus, beneficium DEVS T. O. M. Israëlitis commendaturus, ad Josuam Populi Ducem ita loquitur.

Jos. V. 9.

היום גלותי את חרפת מצרים מעליכם :

Hodie devolvi opprobrium Ægypti à vobis

Hic, quid Opprobrium Ægypti sit, quæritur. ?


A

§. II. Di-

§. II.

Diversas & potiores Interpretum Judæorum sententias ad Michlal Jopbi exhibet Abendana. Ipse Salomoh B. Melech. ad verbum גלותי. Significat Circumitionem (circumgyrationem) v. d. הסירותי *removi*. Aft Abendana: Quod sensum seqv. verborum חרפת מצרים attinet, interpretatur R. David Kimchi: propterea, quod exierunt Patres ex Ægypto & filii (eorum) fuerunt præputiati, ut Ægyptii. Et præputium est ignominia, ut dicitur Gen. XXXI. 14. כי חרפה לנו כי חרפה היא לנר nam ignominiosum est nobis (sc. dare sororem nostram præputiato.) Et Rab. Levi Ben Gerson scribit, quod Ægyptii fuerint impudici circa nuditates, ut scribitur כמעשה ארץ מצרים. Secundum opus terræ Ægypti (non facies) Et circumcisio directa est ad debilitandum robur hujus membri, & per eam recedet ab ipsis (Israëlitis) ignominia Ægypti (cessabit in eis effrena & propudiosa, qualis est Ægyptiorum, libido.) Aut sensus ejus est, quod dixerint (Ægyptii & alie vicinæ gentes;) ipsorum malo eduxit eos (DELLS) ad occidendum eos & consumendum, non ad terram hereditandam; & ecce dum in deserto 40. annos morarentur, fuit hoc ipsis opprobrium. Nunc vero promittit iis, in eo esse, ut hereditent terram, postquam hoc præceptum observarunt & (sic) remota est ab iis ignominia. Rabb. nostri f. r. dicunt: Hodie removi opprobrium Ægypti à vobis; quod dixerint Ægyptii. Ecce malum imminet vobis, stella una est, cujus nomen est malum, & hæc est signum sanguinis. Videmus illud super vos in deserto, & hoc est, quod dicit Moses (Exod. XXXII. 12.) quare dicent Ægyptii dicendo, ad malum eduxit eos? Quando vero circumcisi sunt in diebus Josue & occidit ille sanguis (astrum illud sanguinem portendens,) tum remota est illa ignominia.

§ III. i. Ben.



§. III.

Ben Melech dat significationem verbi **נָלַח** quod hoc loco significet *removere* i. e. *devolvere*, seu, *devolvendo removere*, *aufferre*, ut adeo simplex compositi significationem habeat. Similis significationis loca adducit Raschi (Pf. CXIX. 22.) **נָלַח** מעלי חרפה *devolve (remove) à me opprobrium* (Gen. XXIX. 10.) **וַיִּנָּל אֶת־הָאֶבֶן** *devolvit lapidem* (à puteo Jacobus.) Verum prius ejusdem licet significationis sit, non tamen est ex eadem, radice sed à **נָלַח** pro **נָלַח** per apocopen ה. נ. vid. Wasmuth. H. R. 7. 33. ann. 2. p. 147. Habemus hic ergo diversas formas significationem confundentes seu potius quàm significationem convenientes. vid. Wasmuth. Reg. XLIII. p. 199. Abendana inqvirat, quid sit *opprobrium Ægypti*, & diversas adducit sententias, quæ quorum sint, ut appareat, alios quoque Rabb. consulemus. PRIMAM quam habet de *præputio*, Kimchii, totidem verbis exscripsit; nec minus ALTERAM illam de *impudicitia & libidine seu immodico Veneris appetitu*, (**לְהַמְשֵׁךְ לְתַאוּת הַמִּשְׁגָּל**) per *circumcisionem in Israëlitis temperato*; nec non TERTIAM de *ignominiosa Israëliitarum in deserto mora & aberratione* è R. Levi Ben Gerson, qui vero è sua sententia adhuc aliam jungit expositionem, eamque reliquis præfert seqve illa magnifice effert tanquam ejus inventorem: **וְהַבְּיָאוּר הַרְאִישׁוֹן הַזֶּה הַנִּרְאָה יוֹתֵר וְאִם לֹא מִצְאֵנוּהוּ לְאַהֲרֹן מִן הַקֹּדְמוֹת אֲשֶׁר הִגִּיעוּ אֵלָיו דְּבָרֵיהֶם**. Prior interpretatio probabilior videtur, licet non invenimus eam apud unum illorum Auctorum, qui ante nos fuerunt, quorum scripta ad nos pervenerunt, quam deinceps referemus verbis Abarbenelis. QUARTA & ultima sen-

A 2

tentia

tentia de astro infelici habetur apud R. Salomonem, qui eam tribuit Mofi Haddarschan f. Concionatori qui posteriora aliquanto prolixius exponit. Ad verbum גלותי. Removi ignominiam Ægypti. Dixerunt enim (Ægyptii) videte, quod malum vobis immineat, astrum scilicet unum, cuius nomen est malum (infaustum רעה) & illud est signum sanguinis (effundendi.) Nos quidem videmus illud super vos in deserto (oriturum) Et hoc est quod dicit Moses in deserto : Cur dicent Ægyptii dicendo, in malo (ברעה) eduxit illos Exod. XXXII. 12. Dixerunt Ægyptii : in malo (astro sinistro) eduxit eos. Ipsi autem (Ægyptii) nesciverunt, quod is esset sanguis circumcisionis (qui per circumcisionem nondum effusus erat ; quo vero sanguis in pœnam alias effundendus expiaretur) Quando vero circumcisi sunt in diebus Josue, & occidit ille sanguis (astrum sanguinis per circumcisionem nondum effusi indicium) remota est illa ignominia. Quoniam promiscua multitudo eorum, qui cum ipsis ex Ægypto adscenderant, illis hactenus illuserant. Eadem sententia è Pesikta & Jalkut adducitur ab Abarbenele: Rabbinii dicunt, quod Ægyptii dixerint : Videte, quantum malum vobis imminet, ideo quod per sapientiam suam viderunt sanguinem in Israël. Et dicit, quod per sanguinem circumcisionis remota sit hæc ignominia ab ipsis. In Jalkut è Bereschit Rab. verba ita habent. Hoc est quod dicit: omni rei est tempus & tempus est omni voluntati (Coh. III. 1.) Tempus fuit Abrahamo, cui data est circumcisio, quod dicitur Gen. XVII. eo ipso die circumciscus fuit Abraham. Tempus fuit, quod accidit liberis ejus, quod dicitur ; Nam circumcisi &c. (h. l.) Hoc die devotivi opprobrium Ægypti à vobis. Id quod vidit Pharaon per astronomiam, & dixit Israëlitis, videte quod malum immineat vobis. Dixit eis ; Ego video per astronomiam meam stellam quandam adscen-

adscendentem in occursum vestrum & nomen ejus infaustum est, & hæc est signum sanguinis & cadis. Et quoniam peccarunt Israëlitæ in deserto per vitulum, voluit DEUS Ben. eos occidere. Oravit Moses inprecatione sua: Cur dicent Ægyptii dicendo: Malo eorum eduxit eos Exod. XXXII. 12.? Hoc est quod diximus verbis: Videte quantum malum vobis imminet. Statim poenituit Dominum mali, quod locutus erat, & vertit sanguinem in sanguinem Circumcisionis, quod circumcidit eos Josua. Et hoc est quod dicit: Hodie devolvi opprobrium Ægypti, quod dixerant, sanguinem nos videmus super vobis. Abarbenel quoque primam & secundam sententiam conjungit, & addit, quod qui ita statuunt, hunc v. 9. cohærere statuunt cum precedente parascha: non cum sequente de paschate; quam cohærentiam faciat R. Levi Ben Gerson, qui scribat, quod generatio illa, quæ fuit in deserto, foverit malas de fide opiniones, quas secum ex Ægypto attulerint, in festo paschatis vero eas missum fecerint (DEUM ab iis removisse) Quoniam verò liberi ipsorum, qui post eos surrexerant, ab iis jam secesserunt, interque hos fides divina pura vigeat, dicit DEUS ben. hodie removi ignominiam Ægypti à vobis. Nam tum jam liberati erant à pestiferis illis opinionibus. Atque ideo cum hoc audirent Israëlitæ, acriter studio ferebantur ad celebrandum pascha, ut ostenderent, se puros esse à pravis illis opinionibus, & Domino DEO suo adherere. Est hæc illa R. Levi sententia, quam illum reliquis præferre diximus, de fide seu religione Ægyptiorum, cujus propria verba sunt: Quod mihi videtur de ignominia Ægypti, est fides ipsorum corrupta. Nam negotium Paschæ admonebat Israëlitæ, ut resisterent à sententiis his, ut explicavimus in Parascha (Exod. XI, XII. seqq.) Et certe dicit hoc, quia hætenus recesserat ab eis (cessaverat) hoc præceptum, ex ea causa

A 3

cujus.

eujus meminimus. Et propterea coheret cum eo, quod jam celebrarint pascha decimo quarto die mensis. Denique suam sententiam addit Abarbenel. Mibi de hoc videtur, quod, quoniam erravit Israël in deserto 40. annos, Ægyptii dixerint, fieri id ob defectum potentie divinae, quod non possit eos in terram introducere, quam juravit illis, eosque in deserto mactarit. Nunc autem, quando transire eos fecit DEUS ben. in terram, & cum Israël esset in Gilgal, dicit: hodie removi ignominiam Ægypti à vobis. Dicent enim, quod jam venistis in terram. Quæ convenit cum illa sententia, quam R. Levi Ben Gerson ultimo loco adducit.

§. IV.

E Christianis Interpretibus Kimchii sententiam de præputio sequitur fere Mafius, sed ita, ut cum R. Levi conjungat sententia; quia Hebræi incircumcisi videri adhuc poterant magis Ægyptii, quam Hebræi, imprimis, quia leges & religionem Ægyptiorum, quibus Ægypto adsvecti, nondum plane exuissent. Inter utramque hæret Andr. Osiander. in not. Nunc ab omni immunditie, quam videbamini ex Ægypto (regionis idololatrice) inhabitatione contraxisse, purgati estis. Vel: antea Ægyptiis quodammodo similis eratis: nunc ab iisdem distincti estis. Ad R. Levi sententiam pertinent quoque Vinar. Die Schande (alle Unsauberkeit und Sünde) Ægypti, die eure Väter in Ægypten und ihr von ihnen gelernt. Refero illuc quoque Jun. & Trem. Opprobrium Ægypti i. e. ex Ægypto haustum, Ægyptiis non Israëlitis dignum. Nam etsi non datum est illis, quod cupiebant, ut redirent in Ægyptum, Num. XIV. 4. animo nihilominus Ægyptum spirabant; quod vel ex circumcisionis neglectu declararunt. R. Salomonis & Hebræorum sententiam videtur sequi Lyra, qui cum alias rejecisset, hac allata

allata & prolixè exposita nihil porro monet, ut adeo eam retineri velle videatur. Jam aliter exponitur secundum Hebræos, videlicet, quod, quando filii Israël petebant à Rege Ægypti de regno suo egredi, ut habetur in Exodo; Ægyptii, quando constellationes observabant, dicebant eis: Miseri, quo vultis ire? ecce constellatio ostendit effusionem vestri sanguinis futuram, si recedatur. In circumcissione vero facta per Josuam effusus est sanguis populi circumcisi, quæ effusio non fuit eis ad vituperium & malum, sed magis ad bonum, quod circumcissio erat signaculum fidei. Et sic exponunt verbum Domini dicentis: Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis, b. e. effusionem sanguinis vestri, quam Ægyptii vobis dicebant futuram ad vituperium & malum, converti ad laudem vestram & bonum per circumcissionem.

§. V.

Aliis opprobrium Ægypti est servitus Israëlitarum in Ægypto, apud Schmidium, quin jam tum apud Lyram Quo pertinet Spencerus, qui verba nostra ita παραφραζει. Ritu illo vos in civium meorum numerum adoptavi, ingenuos & terræ felicis heredes declaravi, & omnia servitutis Ægyptiacæ (dedecoris & opprobrii vestri) signa delevi & monumenta, de Leg. Heb. Rit. l. 1. Cap. 4. p. 23. & p. 29. diserte: Opprobrium Ægypti servitus erat, & stemmatis ab Abrahamo deducti servili conditione obscuratio. Iterumque p. 35. παραφραζει. Dein in Ægypto vixistis, ubi mancipia & animalia ad onera & servitutem nata videbamini & præputia hætenus quasi servitutis illius probrosæ monumenta circumgessistis: Jam vero circumcissionis ritu vos in filiorum meorum numerum cooptavi, & servitutis vestræ pristinae non molestiam tantum sed & opprobrium & memoriam pene abolevi. E qua paraphrasi videmus, conjungi hic sententiam Kimchi, dum ita intelligit


ligit

ligit *servitutem*, ut *præputium* tanquam *signum* ejus simul intelligat. Quando vero è *sententia* eorum, qui *circumcisionis* originem *Ægypto* vindicant, loquitur, *Ægyptios* ait, *diu* ante *Josue* tempora, ἀποβυσίων pro *opprobrio* & *infamia* habuisse, idque probat ex verbis his *Jos. v. 9.* unde concludit *Ægyptiis* *circumcisionem* *diu* ante *legem* in usu fuisse. p. 23. B. Schmidii *sententia* licet cum *sententia* Junii *affinitatem* habeat, cum intelligit *opprobrium*, quo *Israëlita* *DEUM* affecerunt per *desiderium* *terre* *Ægypti* *prælatæ* *terre* *Canaan*, cujus *desiderii* & ipse *Junius* *mentionem* facit; pro *peculiari* tamen *sententia* habenda est, nec ad illam *R. Levi* commode referri potest; cum in illa *mores* & *impietas* *Ægyptiorum* spectantur, quam imitati fuerint, & suam quoque fecerint *Israëlita*, hic *Israëlitarum* *impietas* in se spectetur, qua *desiderio* *terre* *ignominia* *DEUM* affecerint.

§. VI.

Nobis illa de *præputio* *sententia*, hoc *opprobrium* dici *Ægypti* omnium videtur *probabilissima*. Nam quod attinet *cohærentiam* *verborum*, *R. Levi* *assertionem* probare non possumus, v. 9. cum *sequenti* *narratione* de *paschate* *cohærere*. *Cohærent* enim cum *antecedente* de *Circumcisione* *narratione*, cui quasi per modum *epiphonematis* *DEI* *subjungitur* *judicium*, & *encomium* de *facto* *Israëlitarum* aut potius, de *beneficio*, quod per illud iis obtigit *divino*, quale hoc fit *declarans*, tale scilicet, per quod *DEUS* *removerit* ab *Israëlitis* *opprobrium* *Ægypti*. Hunc *scopum* & *sensum* hujus *pasuke* manifeste docet *forma* loquendi, quæ de re *præterita* & jam *acta* sonat: *Hoc die* *removi* à *vobis* *opprobrium* *Ægypti*, qui alius dies intelligi nequit, quam qui ipse, vel cujus certe *gesta* jam *descripta* sint.

Vnde



Vnde fit v. 10. distincta mentio diei 14. quo Pascha comederunt. Certe cum antea nec paschatis, nec hujus diei mentio facta fuit, diem ante designatum v. 9. alium esse oportet.

§. VII.

Maxime hic attendenda est acceptio voc. **וחרפתי** in Phr. **חרפת מצרים**, ut bene attendunt Lyra & Seb. Schmidius, scilicet, utrum *active* accipiendum sit an *passive*? Sed ne hoc quidem sufficit, sed attendendum quoque, *quem actio vel passio respiciat*; cum & circa hoc differant. Ita enim Lyra. *Istud exponitur dupliciter ab expositoribus nostris. Uno modo, ut accipiatur opprobrium Aegypti passive, seu, quod sustinuerunt Aegyptii à filiis Israël, exprobrando eis, quod erant incircumcisi &c. alio modo, accipiendo opprobrium Aegypti active, sive quod Aegyptii intulerant filiis Israël, seu opprobrium servitutis, quod licet in exitu de Aegypto fuerint liberati à servitute Aegyptiorum, tamen ista libertas perfecte fuit declarata, quando fuerunt in terra promissionis. B. Schmid. vero: Opprobrium seu probrum h. l. active est Israëliarum, passive Jehovah, DEI Israëlis h. e. est opprobrium, quo Israëlite Jehovah affecerunt. Interpretatur dein de contemptu terra Canaan & prelata terra Aegypti, uti diximus. Mox addit: Hoc opprobrium dicitur Aegypti à materia seu re, quæ à blasphemis Jehovah objecta est, quæ sit terra Aegypti optima (eorum iudicio) Hoc opprobrium dicit ab Israëlitis esse devolutum, cum DEUS omnem penam peccati illius gravissimæ ipsis remisit, ut propter illud non amplius exules fuerint.*

§. VIII.

Quod itaque ad *phrasin* attinet, i. Genitivus adjectus est vel *personæ* vel *rei*. Si hoc, notat vel *rem*, quæ
B
probrio

probrio cedit vel ignominia est, ut חרפת רעב, ignominia famis Ez. XXXVI. 30. vel statum cum re ignominiosa conjunctum, seu quacunque ex causa probrosam vel ignominiosam, ut חרפת בעורי opprobrium pueritiae meae Jer. XXXI. 19. חרפת אלמנותיך opprobrium viduitatis tuae Jes. LIV. 4. vel tempus ut חרפת עולם opprobrium aeternum ut Psal. LXXVIII. 66. Jer. XXIII. 40. Si illud, per personam notatur vel efficiens ut Psal. XXII. 7. ubi Salvator conqueritur se esse חרפת אדם opprobrium hominum. Sic חרפת נבל qui stultus est opprobrio Psal. XXXIX. 9. חרפת תוראו חרפת אנש non timete opprobrium hominis Jes. LI. 7. c. Ezech. XVI. 57. Zeph. II. 8. opprobrium Moab. Ezech. XXXVI. 15. Neb. V. 9. Scilicet illius est חרפתי וי חרפתי חרפתי qui ignominiam infert proximo suo Ps. XV. 3. vel subjectum ut Psal. LXXXIX. 51. חרפתי עבדיך memento Domine opprobrii servorum tuorum Jes. XXV. 8. חרפת עמו opprobrium populi sui removebit Mich. VI. 16. חרפת עמי תשאו opprobrium populi mei feretis. 2. Genitivus, qui h. l. est, מצרים, alias quidem etiam accipitur de ipsa terra vel regione, & sic esset nomen rei: sed cum frequenter etiam accipiatur de incolis, ita h. l. merito accipitur, ut Zeph. II. 8. opprobrium Moab i. e. Moabitarum. Sic h. l. opprobrium Aegyptiorum. Nec enim commode intelligi potest, si de terra Aegypti velimus accipere, qua ratione illa dicatur Israëlitis in opprobrium cedere, 3. Cum itaque additus sit b. l. genitivus personae, prima fronte videtur non aliter accipi posse, quam active de probro afficiente, cum subjectum opprobrii in textu aliud designetur, illud scilicet, à quo devolvendum est. Id vero sunt Israëlitae. Hi ergo opprobrio videntur affici, Aegyptii afficere. Et si Aegyptii sunt opprobrio afficientes, opprobrium

brum

brium intelligetur respectu *Israëliitarum* passive tale, quod in *Israëlitis* antequam removeretur, habet, quo sensu sæpius quis opprobrium ferre dicitur, ut *Psal. LXIX. 8. Jer. XV. 15. esse opprobrium alteri Psalm. LXXIX. 4. LXXXIX. 42. CIX. 25. in opprobrium poni Psal. XLIV. 14. 1. Sam. XI. 2. opprobrio involvi. Psal. LXXI. 13. contra opprobrium ut b. l. ita alias quoque ab eo dicitur devolvi. Psal. CXIX. 22. removeri 1. Sam. XVII. 26. Sic quidem probabilis videtur eorum sententia, qui intelligunt *servitutem Aegyptiacam*, *Israëlitis* ab *Aegyptiis* exprobratam aut certe conciliatam.*

§. IX.

Ast cum per illam *servitutem* injuria quidem *Israëlitis* fuerit illata & dubitandum certe non fit, quin multam ὕβρις & contumeliam habuerit conjunctam, illa tamen cum stylo scripturæ non חרפתי dicitur, sed נצט afflictio *Exod. III. 7.* maxime vero cum hic agatur de *contumelia*, non quæ olim ab *Aegyptiis* affecti fuerunt, sed, quæ nunc demum ab *Israëlitis* sit ablata; Cumque tantum absit, ut *Israëlitas* *Aegyptii* post illorum egressum contumeliose habuerint, ut potius Rege & exercitu suo mari suffocatis maximo terrore fuerint affecti, *Exod. xv. 16. Ps. CV. 38.* inprimis cum per *Circumcisionem* opprobrium hoc dicitur ablatum: non potest intelligi *servitus*, cum statim per egressum in libertatem vindicati erant *Israëlitæ*, nec *servituti* illi *circumcisio* demum finem fecit. Vbi falso id quoque à *Spencero* supponitur, *Circumcisionem* libertatis politice & præputium *servitutis Aegyptiacæ* signa fuisse, id quod jejune nimis, nec pro Sacramenti hujus dignitate auguste satis asseritur, & omni destituitur fundamento. Nec propter easdem rationes intelligi potest *contumeliosa*

exprobratio erroris in deserto, quam ut exprobrarent Israëlitis Ægyptii rege & exercitu illorum mari suffocatis causæ nihil erat; aut, cum eundem æque aliæ gentes exprobrare possent, non causæ quid est, cur dicatur *opprobrium Ægypti*; & illa quidem contumelia non per circumcisionem ablata est & cessavit, sed per ipsum in terram ingressum & ejus occupationem. Multo minus fabulæ illæ de *infausto & sanguinem portendente astro*, ex quo Israëlitis Ægyptii male ominati sunt, attendi merentur, quæ e. l. *Exod. xxxii.* male infucantur, ut in quo Moses *astri* nullius mentionem facit, *malum* vero intelligit non *prævisum* à se, nedum ab Ægyptiis ex astris, sed *forte metuendum*, si DEVS justæ iræ suæ indulgere velit. Nec loquitur Moses de opprobrio, quod jam tum Israëlitis Ægyptii dixerint, sed quod, si malum illud, quod metuit, omnino eveniat, *perinde metuendum* sit, & sic demum in Israëlitas recideret. In quibus adeo cum opprobrium hoc nunquam hæsit, nec hoc loco *devolutum ab iis* dici potest.

§. X.

Id itaque cum maxime attendi mereatur, *per Circumcisionem opprobrium Ægypti* remotum esse; non aliud certe hic intelligendum est opprobrium, quam quod vere per circumcisionem remotum fuit, sive ab Ægyptiis ipsis Israëlitis fuerint illatum, sive quomodo-cumque Ægyptiorum dici possit.

§. XI.

Vbi illud quidem manet, *subjectum opprobrii esse Israëlitas*, ut à quibus sit *devolvendum*, qui adeo olim eo *cessa-*

cessario tecti quasi intelliguntur, adeoque esse utique respectu Israëliitarum opprobrium passivum, quod ipsi patiantur. Non itaque recipienda videtur sententia Schmidii, qui active accipit de opprobrio Israëliitarum, quod DEO intulerint, quod remissione peccati illius iterum ablatum sit, multo minus illorum apud Lyram, qui de opprobrio Israëliitarum, quo Aegyptios ut incircumcisos increparint, interpretantur. Nec tamen ex adverso respectu Aegyptiorum est activum seu id, quod per verba vel facta contumeliosa Israëlitis intulerint, ut prima fronte videri diximus, cum tale probrum in historia sacra non occurrat, quod per circumcisionem recesserit, per quam tantum abest, ut Israëlitæ contumeliæ exempti fuerint, ut per illam potius omnium gentium ludibrio fuerint expositi v. Cl. Schudt in Comp. hist. Jud. c. 18. p. 204. 205. Quærendus itaque est alius sensus, quo Contumelia dicatur Aegyptiorum.

§. XII.

Hunc ut inveniamus, egregiè nos juvat phrasis illa, qua alter alterius contumeliam dicitur ferre, ut Mich. VI. 16. uti quoque alter alterius injuriam, ut in illo Saræ חמסי עלך injuria mea super te est seu, in te redundat. Gen. XVI. 5. Vicina φερόσις est, qua quis propter alterum contumeliam dicitur ferre ut Psal. LXIX. 8. Jer. XV. 15. Vnde discimus, posse ejusdem probri vel contumeliæ plura esse uno subjecta, seu plures de una contumelia posse participare. Accipimus itaque contumeliam Aegypti, non tantum respectu Israëliitarum, sed Aegyptiorum quoque passive pro ea, quæ Aegyptiis inhereat, quæque ipsi merito afficiantur seu digni sint.

§. XIII.

Restat ergo scire, quid illud sit contumeliæ, quod perinde ut Israëlitis, Aegyptiis quoque inhaerit? Respondeamus, esse eam contumeliam seu rem contumeliosam, quæ per circumcisionem ab Israëlitis est ablata, in Aegyptiis verò mansit. Ea certe est contumelia præputii seu præputium contumeliosum. Illud vero instituta & vigente circumcissione probrosum & contumeliosum fuisse non tantum genti Judaicæ, quo pertinet loc. à Kimchio allegatus Gen. xxxv. 14. sed aliis quoque Gentibus manifestum est non tantum ex eo, quod convitio ערליט vel ערליט incircumcisi seu præputiati nihil fere est frequentius, hacque appellatione gentes merito suo dehonestentur, 1. Sam. xiv. 6. xvii. 26. 36. xxxi. 4. 2. Sam. I. 20. Jud. xiv. 3. xv. 18. sed & Jer. ix. 25. pronuncietur, turpe esse non tantum Israëlitis corde, sed & gentibus carne non esse circumcisos: כו כל הגוים ערלים וכל בית ישראל ערליט לב: Nam omnes gentes sunt incircumcise: ast domus Israël est incircumciso corde. Vnde quoque intelligimus, Incircumcise appellationem ad solos Philistæos cum Montacutio, quem allegat Spencerus l. 1. de leg. Rit. Hebr. c. 4. p. m. 30. restringendam non esse; cum hic omnes gentes dicantur ערליט, quod licet absolute universaliter non accipiamus, cum & omnis Israël præputiatus corde dicitur, cum certum sit Jeremiam & alios pios in populo illo fuisse, de insigni tamen & maxima gentium multitudine accipiendum est.

§. XIV.

Contra hanc quidem sententiam objici posse videtur, quod & ipsis Aegyptiis circumcisio αὐτῶν ἀεχῆς observata fuerit, ἀγνί

à quibus ad alias gentes, Colchos, Æthiopes fuerit propagata, teste Herodoto l. 2. c. 104. Diodoro Siculo l. 1. p. 17. Celso apud Origenem p. 259. Sic quidem præputium ipsis tanquam probrosum objici non posse. Verum illa Ethnicorum auctorum testimonia id quidem dicunt, antiquis temporibus Ægyptiis & aliis quibusdam gentibus circumcisionem fuisse usurpatam, verum idem & primis gentium in specie Ægyptiacæ originibus obtinuisse, non evincunt. Sit itaque, ut ferior Ægyptiorum ætas natos circumciderit: dum id evictum non est, jam tum Josuæ tempore circumcidisse, sententiæ nostræ nihil officit. Quale judicium quoque est B. Ludolphi lib. III. Hist. Æthiop. de quæstione, utrum Circumcisio apud Judeos an Ægyptios primum ceperit? vanam existimantis omnem operam, nisi clare probetur, Circumcisionem Ægyptiorum antiquiorem esse Abrahamo. Non equidem dixerim, utrum in Herodoti verbis, ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα περιτέμνονται. ab initio pendenda circumcidunt, id quod res est, conjectura non fallaci assecutus sit Conf. Dn. Wächtlerus in ep. ad Ill. Bar. de Miltiz data & ann. 692. Dresd. edita, qui non de gentis initio, aut rerum Ægyptiacarum primordio, sed de principio natiuitatis seu ætatis cujusque & vitæ accipit. Cum enim Arabes teste Josepho post annum decimum tertium demum circumciderentur, dispar Ægyptiorum & vincinorum institutum hic ab Herodoto ostendi existimat, quod Ægyptii statim à principio natiuitatis circumcidant pueros suos. in primis cum idem Herodotus fateatur l. c. circumcidi ab Ægyptiis αἰδοῖα τῶν ἐπιγινόμενων h. e. recens natorum; nec dissimulet ob antiquitatem valde remotam se dicere non posse, utri ab utris didicerint, Æthiopes ne ab Ægyptiis,

ptiis, an hi ab illis? Illud certe non præter rem idem monet, pro vulgi opinione Herodotum *Judæos pro Ægyptiis habere potuisse, cum ipsorum Majores ex Ægypto venerint v. A. E. L. ad a. 692. p. 124. 127. 128.* Cum simili errore cum *Syris & Phœnicibus Judæos* Herodotus confuderit, ut demonstravit Josephus *l. 1. c. Apion.* & Diodorus Siculus, *Judæos Ægyptiorum coloniam mentiatur. l. 1. Bibl. hist. c. 28. v. Schudt comp. hist. Jud. c. 18. p. 204.* Quantum quidem in historia Judaica Scriptores exteri profani hallucinati fuerint, solus Justinus prodit, cujus & aliorum à veritate aberrationes ex professo discutit quem is modo allegavimus Cl. Schudt. in *Compendio historiae judaicae.* Quæcunque vero mens Herodoti fuerit, id certe falsum est, *Circumcisionem Ægyptiorum genti coævam fuisse, multo magis, ab iis ad Judæos transisse.* Merito enim hic Marshamo & Spencero opponit doct. Basnagius, quod *Moses inter populos Mizraim Philistæos referat, ad quos cur circumcisionis ritus ab Ægyptiis non descenderit, nulla idonea causa reddi potest, si Ægyptii à primis gentis suæ incunabulis fuerunt circumcisi, in exerc. hist. Crit. de rebus sacr. & eccles. c. Baron v. A. E. L. a. 692. p. 164.* quod argumentum quoque urget S. R. Dn. Grapius in *Disp. de hoc argumento a. 99. Rostochii habita, Philistæos, qui ex Casluchis seu Colchis, uti hi ex Ægyptiis, procreati sint Gen. X. 13. 14. circumcisionis fuisse expertes. Jam si ab initio Ægyptii circumcisionem habuissent in usu, utique in Casluchæos & hi in Philistæos propagassent, quod quælibet gens paternos ritus non tantum liberis suis commendare, sed & in posteros aliosque populos transferre omnibus viribus conetur.*

§. XV.

Si qua igitur apud Ægyptios obtinuit circumcisi-
 o, ad seriora demum tempora ea referenda est. Et
 licet sint, qui per Josephum ad Ægyptios derivatam velint,
 ut Basnagius l. c. & Witsius in Ægypt. l. i. c. 6. p. 227.
 non multum repugnare videtur; alii tamen hanc cir-
 cumcisionis ab Israëlitis ad Ægyptios derivationem referunt
 demum ad tempora Salomonis, qui uxorem inde duxerat, ut
 Bonfrer. in b. l. Josue (quod tamen Spencero probabile
 non videtur l. c. p. 30.) Alii ante destructionem Hierosolymæ
 factum negant, ut Coccejus in Jer. IX. 25. qui, Non potest
 demonstrari, ait, multas earum gentium vel admisisse vel usur-
 passe circumcisionem ante captivitatem Babylonicam. Constat Isra-
 ëlitas solitos fuisse omnes vicinos suos appellare Præputiatos.
 Rursus constat, post captivitatem Babylonicam multos in Ægy-
 pto profelytos factos esse, & Edomitas, Ammonitas, Moabitas
 frequentes circumcisionem admisisse. Quæ ultima sententia
 licet non assumatur, non tamen sine ratione statuitur,
 tempore Josue circumcisionem apud Ægyptios non obtinuisse.
 Etenim loc. Jer. IX. 24. 25. qui pro antiquitate circum-
 cisionis apud Ægyptios à Marshamo & Spencero ad-
 ducitur, admodum obscurus est, & ita comparatus,
 ut probabilitate non minore ex eo circumcisionem Ægy-
 ptiorum tempore Jeremie nullam fuisse, asseri queat. Præ-
 terquam enim, quod debilis admodum consecutio sit,
 Ægyptios, quod inter circumcisos primi ponantur, ante reliquas
 quoque gentes esse circumcisos, ne quidem invicte probari
 potest, hic gentes tantum circumcisas memorari; quin
 potius qua circumcisionem, ut in universum aliis, ita hic
 quoque commemoratis gentibus Israëlitæ videntur contra
 C
 distin-

distingvi. Verba enim *וּפְקַדְתִּי אֶת כָּל מִצְרַיִם בְּעֶרְלָה* *visitabo omnem circumcisum in praeputio*, licet sint, qui ad unum *וְ* idem subjectum referant, quod vel *circumcisus* dicatur *in praeputio*, seu *quoad praeputium*, seu, ut alias Scriptura loquitur *בְּבָשָׂר עֶרְלָה* *in carne praeputii*, ut LXX. Vulg. R. Salomoh; *vel circumcisus nihilominus esse dicatur cum praeputio*, cordis scilicet, de quo v. sq. ut Jonathan, Pagn. &c. tamen distributio & recensio diversarum gentium v. 26. subjuncta facile à nobis impetrat, ut cum B. Luth. qui reddit, die Beschnittene mit den Unbeschnittenen / Jun. & Tremell. it. Seb. Schmidio *וְ* accipiamus pro *inter*, & *עֶרְלָה* *praeputium*, *abstractum* pro *concreto*, ut in N. T. literis voc. ἀκροβυστίας sæpius usurpatur Rom. II. 26. 27. III. 30. IV. 9. Gal. II. 7. Eph. II. 11. Quod cum ita se habeat, dignosci certe nequit, quæ è gentibus memoratis *circumcisæ fuerint*, quæ verò *praeputiatæ*. Cum de industria DEVS in peccatis & pœna similes hic videtur commiscuisse, & invicem confudisse: nisi quod ex eo, quod in epiphonemate *solos Israëlitæ corde non circumcisos* reliquis omnibus gentibus, *ne quidem carne circumcisos*, Spiritus S. distingvit, non sine ratione quis colligat, earum gentium nullam tum temporis *circumcisam fuisse*. Qua ratione ex ipsa Scriptura probatum dederimus, *Ægyptios tempore Jeremia, nedum Josua, nondum fuisse circumcisos*. Cui accedit, quod, si Epiphanio *her. 30.* fides habenda est, *Circumcisio apud Ægyptios non in universum obtinuerit, sed solis hierophantis & sacrorum ministris peculiaris fuerit*, allegante Spencero *de L. H. R. l. 1. c. 4. p. m. 31.*

§. XVI.

Quando vero praeputium probrosum & ignominiosum ab
Israë-

Israëlitis ablatum statuimus, non id *strictè* accipimus, sed *lato*, comprehensis omnibus illis, *quæ cum præputio hominibusque tum temporis præputiatis necessario conjuncta erant, & simul designabantur, eoque ablato simul auferebantur aut certe ex intentione divina auferri debebant.* Adeoque cum *præputio* simul intelligimus *præputiatorum*, in specie *Ægyptiorum religionem & sacra, præputiatorum & Ægyptiorum mores profanos & in specie propudiosam libidinem.* Hæc enim omnia ut ordinarie per initiationis sacramentum auferebantur & cessabant, ita cum præputio & natura hominis sibi relictæ corrupta necessario conjuncta erant. Non ita tamen intelligimus, quasi maxima Israëlitarum pars vel ii, qui circumcidebantur, superstitione & impiis Ægyptiorum moribus imbuti adhuc fuerint, sed quod solenni illa circumcissione, quæ in se vim habebat ab omni impietate eos liberandi & contra eam muniendi, testatum DEVS fecerit, & ipsi quoque, admittentes eam, lubentes declararint, populum hunc cum idololatria & impietate Ægypti nihil commercii habere. Hæc itaque sententiæ R. Levi & aliorum Rabb. rite intellectæ Kimchianæ jungendæ & subordinandæ sunt. *Utrum circumcisio, quatenus physice corpus afficit, Veneris stimulos temperet, quod addunt, idque in omne tempus, sanato etiam vulnere, de eo viderint Medici.* In Israëlitis, sacris Priapæis seu cultu Moabitico se scedantibus & strenue scortantibus *Num XXV. 1. seq. Psal. CVI. 28. 1. Cor. X. 8.* aliud testata est tristis experientia. Et adhuc dum de propudiosa Judæorum libidine in urbe Hamburgensi B. Edzardi multum & sæpe conque-
rentem audivi.

§. XVII.

Sensus itaque & paraphrasis verborum hæc est :
Et dixit Dominus ad Josuam : hodie, quando ingens illa hominum multitudo, quæ in deserto circumcisa non erat, demum circumcisa est, abstulit à vobis, tum iis ipsis, qui circumcisi sunt, tum reliquis Israëlitis, in quos illorum quoque ignominia redundabat, probrosum, quale est Ægyptiorum, præputium, cum omnium tum naturali tum imitatione eorum aut quacunque alia ratione adscita corruptione, superstitione, impietate, impuritate, idque solenni hac circumcissione coram omnibus declaravi.

AD explendum vacui spatium in gratiam studiosæ
 juventutis Herodoti de Circumcissione locum integrum adscribemus, & Josephi allegationem, cum ad utrumque provocavimus.

L. 2. c. 65. p. 116. edit. Henrici Stephani a. 592. Paris. ubi Ægyptiorum discrepantes ab aliis mores tradit:

Τὰ αἰδῶια ὧ' ἄλλοι μὲν ἔωσι ὡς ἐγένοντο, πλὴν ὅσοι ἀπὸ τῶν ἡμαθῶν. Αἰγύπτιοι δὲ περιτάμνονται.

è versione Laurentii Vallæ :

Virilia alii talia relinquunt, qualia natura sunt, præter eos, qui ab istis didicerunt: Ægyptii circumcidunt.

L. eod. c. 80. sec. edit. Steph. p. 142. 143.

Φαίνονται μὲν γὰρ ἐόντες οἱ Κόλχοι Αἰγύπτιοι. Νοήσας δὲ πρότερον αὐτῶν, ἢ ἀκέρως ἄλλων, λέγω. Ὡς δὲ μοι ἐν Φροντίδι ἐγένετο, ἠρόμην ἀμφοτέρων. Καί μᾶλλον οἱ Κόλχοι ἐβεβημένοι τῶν Αἰγυπτίων, ἢ οἱ Αἰγύπτιοι τῶν Κόλχων. Νομίζειν δ' ἔφασαν Αἰγύπτιοι τῶν Σεσώριων στρατιῆς εἶναι τὰς Κόλχους. Αὐτὸς δὲ εἰκασα τῆδε, καὶ ὅτι μελάγχροές εἰσι καὶ ὑλότριχες. Καὶ τῶν μὲν ἐς ἄδην ἀνήκει. Εἰσὶ γὰρ καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι. Ἀλλὰ τοῖσι δὴ μᾶλλον,

λιν,

(21)

λον, ὅτι μῆνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίο-
 πες περιτάμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοινῖκες δὲ καὶ Σύ-
 ριοι οἱ ἐν τῇ Παλαισίνῃ καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων με-
 μαθηκέναι. Σύριοι δὲ οἱ περὶ Θερμώδονα καὶ Παρθένιον πότα-
 μον καὶ Μάκρωνες οἱ τῆσιν ἀσυγείτονες ἔοντες, ἀπὸ Κόλχων Φασί-
 νεωσὶ μεμαθηκέασι. ἔτσι γὰρ εἰσι οἱ περιταμνόμενοι ἀνθρώπων
 μῆνοι. Καὶ ἔτσι τοῖς Αἰγυπτίοισι φαίνονται ποικῆτες κατὰ ταῦτα.
 Αὐτῶν δὲ Αἰγυπτίων καὶ Αἰθίοπων ἔκ ἔχω εἰπεῖν ὁπόσοι παρὰ
 τῶν ἐτέρων ἐξέμαθον. Ἀρχαῖον γὰρ δὴ τι φαίνεται εἶναι. ὡς
 δ' ἐπιμισγόμενοι Αἰγύπτῳ ἐξέμαθον, μέγα μοι καὶ τόδε μαρ-
 τήριον γίνεται. Φοινίκων ὁκόσοι τῇ Ἑλλάδι ἐπιμίσγονται, ἔκ ἔτι
 Αἰγυπτίους μιμούνται κατὰ τὰ αἰδοῖα, ἀλλὰ τῶν ἐπιγινόμενων ἔ-
 περιτάμνουσι τὰ αἰδοῖα.

*Colchi videntur Aegyptii esse : quod ipse prius notum
 quam ex aliis auditum refero. Cujus rei cum mihi cupido
 incessisset, ut utrosque percontarer, magis Colchi reminiscebantur
 Aegyptiorum quam Aegyptii Colchorum. Dicebant autem Aegy-
 ptii, se opinari Colchos esse Sesostris esse exercitu. Ipse autem ex
 hoc conjecturam capiebam, quod atro colore sunt & crisso ca-
 pillo (tametsi hoc pro nihilo putari posset, quum & alii sint hujus-
 cernodi) sed quod isti praecipue. (Bene in marg. correxit
 H. Stephani : Sed ex istis magis, quod soli, & c. i. e. inde
 potius conjectura capi potest, quod soli circumci-
 duntur, &c.) Praeterea, quod soli omnium hominum Colchi &
 Aegyptii & Aethiopes ab initio statim pudenda circumcidunt.
 Nam & Phoenices & Syrii, qui sunt in Palestina, didicisse id ab
 Aegyptiis & ipsi consentunt. Syrii vero, qui fluvium Ther-
 modontem & Parthenium accolunt, & horum contermini Ma-
 cronae à Colchis se nuper didicisse ajunt. Hi enim ex homini-
 bus soli sunt, qui circumciduntur : & in hoc faciendo agno-
 scuntur.*

scuntur Aegyptii esse. (H. St. & in eo istos Aegyptiorum consuetudinem secutos constat.) Aegyptii vero atque Aethiopes non quae dicere utri ab utris didicerint. Nam videtur esse perantiquum. Sed quod ex Aegypto, cum illic commercium haberent, didicerint, magni mihi sit hoc testimonium: quod hi Phoenices, qui cum Graecis commercium habent, non amplius circa virilia imitantur Aegyptios, nec eorum, qui nascuntur, virilia circumcidunt.

Fl. Josephus l. i. contr. Apion. p. 1047. edit. Ittig. hunc locum allegat & illustrat:

Καὶ μὴν εἰς τὸν Ἡρόδοτον ὁ ἀλιχάρνασσεὺς ἠγνόηκε ἡμῶν τὸ εἶδος, ἀλλὰ τῷ τρόπῳ τινὶ φαίνεται μεμνημένος. Περὶ γὰρ Κόλχων ἱστορῶν ἐν τῇ δευτέρᾳ βίβλῳ φησὶν ἕτως. Μῆτροι δὲ πάντων φησὶ, κόλχοι καὶ αἰγύπλιοι καὶ αἰθίοπες περιτέμνουσιν ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα κτλ. ἕκῃν εἶρηκε σύρξ τῆς ἐν τῇ παλαιστίνῃ περιτέμνεσθαι. Τῶν δὲ τὴν παλαιστίνην κατοικούντων μόνοι τῶν ποιῶσιν ἰσδαῖοι. Τῶτο ἄρα γινώσκων εἶρηκε περὶ αἰδῶν

ex interpretatione Gelenii:

Verum neque Herodotus Halicarnassensis nostram ignoravit gentem, sed quodammodo ejus meminisse cognoscitur. De Colchis enim referens in secundo libro sic dicit: Soli autem inter omnes Colchi & Aegyptii & Aethiopes verenda ab initio circumcidunt. &c. &c. Dixit ergo Syros, qui in Palestina sunt, circumcidi. Omnium autem, qui habitant Palestinam, soli Judaei circumciduntur. Hoc igitur sciens de ipsis dixit.

S. D. G.

☉ : (O) : ☉

coll. diss. A. 63, misc. 58